



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 13. Gurensis Episcopi arrogancia coram Pontifice.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

§. XII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1511.

*Gurcensis Episcopus, Bononiæ Pa-
pam accedens.*

Ergo utrinque sancitum, ut Papa Bo- *Raynald. hoc
noniam usque procederet, eumque ann. n. 52.*

Episcopus ibidem conveniret, Parisien-
sis vero Præsul Mantuæ socii sui adven-
tum præstolaretur. Neminem alium præ-
ter Gurcensem Romana Curia unquam
pompa magis ad assentionem composi-
ta excepit, omnibus aulicis usque ad ur-
bis portam obviam effusis: cum vero Ger-
manus iste Præsul inter ceteros Venetæ
Reipublicæ Oratorem penes Papam con-
spiceret, eum vehementius alloquens,
temeritatem exprobrabat, qua coram
Oratore Cæsaris, a quo tamen Respub-
lica proscripta esset, comparere præsu-
meret.

§. XIII.

*Gurcensis Episcopi arrogantia coram
Pontifice.*

Post hæc Episcopus ad sanctiorem Pa- *Spond. ad
trum Senatam introducitur, ubi sum- an. 1511. n. 2.*
mus Pontifex cum omnibus suis Cardi-
nalibus adventantem expectabat, a quibus
etiam singularibus honorum signis exce-
ptus, paucis admodum verbis exposuit,
se ab Imperatore suo Domino ad concil-
lian-

Sæcul. XVI.
A.C. 1511.

liandam pacem in Italiam missum fuisse, nec tamen illam ullatenus sperandam, nisi prius Veneti, quicquid Cæsaris esset, reddidissent. Papa e Patrum Senatu egressus, cum Episcopo colloquium ab arbitris semotum miscebat, irritum tamen successu; nihilominus haud quaquam territus Præsulem, ut eum a præconcepto averteret proposito, ita allocutus est: paucis ante adventum tuum diebus quosdam sacro Cardinalium collegio adscriptimus, unum, quem tum haud nominare volumus, nobis reservavimus, suo tempore pronuntiandum: his verbis Papa Præsuli haud obscure indicabat, quod secreta illa nominatio non alium ac ipsum tangeret, hæcque dignitas, si Episcopus Papæ votis annueret, ejus præmium foret. Ast Prælatum de mente Pontificis, promissique integritate forte dubius, hisce parum moveri videbatur, nec suam arrogantiam diminui, nec constantiam expugnari patiebatur.

§. XIV.

Colloquia inter tres Cardinales, totidemque Proceres Germanos ab Episcopo nominatos.

Ceterum summus Pontifex, ut hujus viri repugnantiam vinceret, cum forte suorum Cardinalium quosdam se ipso